

quodque si eam perire uel remitti contingeret, ordo quilibet collabi necessario cogeretur. Pensantes etiam, quod si regularium personarum correctio, Rimas iuris et apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret et multiplici laxacione torperet. Nos uestris supplicationibus inclinati, uobis auctoritate apostolica indulgemus, ut ad correctiones et puniciones fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas prelati ordinis supradicti, ad quos eodem spectare noscuntur, rimulis et apicibus ipsis postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, et generalia facta, et etiam facienda ipsius ordinis instituta. nec uolumus eisdem licere fratribus, ab eisdem correctionibus et punicionibus, aliquatenus appellare. prouida in hoc, deliberacione, ac maturitate debita, obseruatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et Beatorum Petri et pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud sanctum Petrum. Sexto Idus Maij. Pontificatus nostri anno secundo.

1165.

1296 i Juni.

Björn Näfs m. fl. tillståndsbrief för Tiunda Lagmannen, Israels Enkefru att handla med sina morgongåfvo- och arfvegods i öfra Sverige.

A. 6. a. 2: 24.

Vniuersis christi fidelibus presens scriptum cernentibus. BERO NEFF & CRISTINA VXOR SUA, THOMAS JON SON & VXOR SUA KATERINA KARULUS GREGERSON cum coniuge sua RANGBURGIS, ac RANGWALDUS VLWASÆ SON, salutem in domino sempiternam, tenore presentis vniuersitati vestre notum facimus nos honeste domine Rangfridi relicte domini israelis condam legiferi thiundie bona sua que sunt in superiori swecia, uidelicet Morghengeif ac hereditatem quam post filium ibidem hereditauit & Maritum insolidum ex communi nostro beneplacito & assensu sine quolibet impedimento ex parte nostra tali condicione permittimus disponenda libere, donanda, vendenda & alienanda in vita sua pro ipsius libitu voluntatis, ita ut omnia sua patrimonialia seu hereditates materne ubicumque alias per regnum situate nobis uel illis qui tempore mortis ipsius eius legitimi heredes superstites fuerint insolidum relinquuntur secundum patrie nostre leges & statuta. In cuius permissionis euidentis testimonium presentem litteram sigillis nostris ac domini .b. illustris regis sweorum nec non & venerandorum dominorum th knutson Marskalchi. benedicti legiferi wesgotorum. laurencii bobierg & andree prepositi vpsalensis decernimus Roborari. Datum Anno domini. M°.CC°. Nonagesimo VI°. Mense Junio.

Nedanföre på samma blad finnes följande bref: